

LÆLIUS,

SIVE

DE AMICITIA DIALOGUS,

AD

T. POMPONIUM ATTICUM.

I. QUINTUS MUCIUS ¹augur multa narrare de C. Lælio, socero suo, memoriter et jucunde solebat, nec dubitare, illum in omni sermone appellare sapientem. Ego autem a patre ita eram deductus ad Scævola, sumta virili toga, ut, quoad possem, et liceret, a senis latere nunquam discederem. Itaque multa ab eo prudenter disputata, multa etiam breviter et commode dicta, memoriæ mandabam; fierique studebam ejus prudentia doctor. Quo mortuo, me ad pontificem Scævola contuli: quem unum nostræ civitatis et ingenio et ²justitia præstantissimum audeo dicere. Sed de hoc alias; nunc redeo ad augurem. Quum

¹ *Al. post augur addunt Scævola; sed plures omitunt, et sic vett. grammatici.* • *Male edd. nonnullæ, industria.*

DIALOGUS.

319

sæpe multa, tum memini, domi in hemicyclio sedentem, ut solebat, quum et ego essem una, et pauci admodum familiares, in eum sermonem illum incidere, qui tum fere omnibus erat in ore. Meministi enim profecto, Attice, et eo magis, quod P. Sulpicio utebare multum, quum is tribunus plebis capitali odio a Q. Pompeio, qui tum erat consul, dissideret, quocum conjunctissime et amantissime vixerat, quanta hominum esset vel admiratio, vel querela. Itaque tum Scævola, quum in eam ipsam mentionem incidisset, exposuit nobis sermonem Lælii de amicitia, habitum ab illo secum, et cum altero genero C. Fannio, M. F., paucis diebus post mortem Africani. Ejus disputationis sententias memoriæ mandavi; quas hoc libro exposui meo arbitratu. Quasi enim ipsos induxi loquentes, ne, inquam, et inquit, sæpius interponeretur; atque ut, tanquam a præsentibus, coram haberi sermo videretur.

Quum enim sæpe mecum ageres, ut de amicitia scriberem aliquid, digna mihi res quum omnium cognitione, tum nostra familiaritate, visa est. Itaque feci non invitus, ut prodessem multis tuo rogatu. Sed, ut in Catone majore, qui est scriptus ad te de senectute, Catonem induxi senem disputantem, quia nulla videbatur aptior persona, quæ de illa ætate loqueretur, quam ejus, qui et diutis-

sime senex fuisset, et in ipsa senectute præ ceteris florisset: sic, quum accepissemus a patribus, maxime memorabilem C. Lælii et P. Scipionis familiaritatem fuisse, idonea mihi Lælii persona visa est, quæ de amicitia ea ipsa dissereret, quæ disputata ab eo meminisset Scævola. Genus autem hoc sermonum, positum in hominum veterum auctoritate, et eorum illustrium, plus, nescio quo pacto, videtur habere gravitatis. Itaque ipse mea legens, sic afficior interdum, ut Catonem, non me loqui existimem. Sed ut tum ad senem senex de senectute, sic hoc libro ad amicum amicissimum de amicitia scripsi. Tum est Cato locutus, quo erat nemo fere senior temporibus illis, nemo prudentior: nunc Lælius, et sapiens (sic enim est habitus), et amicitia gloria excellens, de amicitia loquitur. Tu velim animum a me parumper avertas, Lælium loqui ipsum putes.

C. Fannius, et Q. Mucius ad socerum veniunt post mortem Africani: ab his sermo oritur. Respondet Lælius: ejus tota disputatio est de amicitia; quam legens tu te ipse cognosces.

II. — FANNIUS. ¹ Sunt ista, Læli. Nec enim melior vir fuit Africano quisquam, nec clarior. Sed

¹ *Mss. alii habent, Sunt ista vera, Læli; alii addunt, ut dicis.*

existimare debes, omnium oculos ¹ in te esse conjectos: unum te sapientem et appellant et existimant. Tribuebatur hoc modo M. Catoni. Scimus L. Attilium apud patres nostros appellatum esse sapientem. Sed uterque alio quodam modo: Attilius, quia prudens esse in jure civili putabatur; Cato, quia multarum rerum usum habebat; multa ejus et in senatu, et in foro, vel provisa prudenter, vel acta constanter, vel responsa acute, ferebantur. Propterea quasi cognomen jam habebat in senectute sapientis. Te autem alio quodam modo, non solum natura et moribus, verum etiam studio et doctrina, esse sapientem; nec sicut vulgus, sed, ut eruditi solent appellare sapientem, qualem ² in tota Græcia neminem (nam qui septem appellantur, eos, qui ista subtilius querunt, in numero sapientium non habent); Athenis unum accepimus, et eum quidem etiam Apollinis oraculo sapientissimum judicatum. Hanc esse in te sapientiam existimant, ut omnia tua in te posita ducas, humanosque casus virtute inferiores putes. Itaque ex me querunt, ³ credo item ex te, Scævola, quonam pacto mortem Africani feras, eoque magis, quod his

¹ *Wetzel. e cod. Erfurt. addit nunc.* ² *Gruter. in reliqua Græcia; cod. Pith. in tota Græcia reliqui neminem.* ³ *Al. credo ex hoc item Scævola. quod ferri potest.*

proximis nonis, quum in hortos D. Bruti auguris, commentandi causa, ut assolet, venissemus, tu non affuisti; qui diligentissime semper illum diem, et illud munus solitus esses obire. — SÆVOLA. Quærent quidem, C. Læli, multi, ut est a Fannio dictum: sed ego id respondeo, quod animadverti, te dolorem, quem acceperis quum summi viri, tum amicissimi morte, ferre moderate; nec potuisse non commoveri, nec fuisse id humanitatis tuæ. Quod autem his nonis in nostro collegio non affuisses, validudinem causam, non mœstítiam fuisse. — LÆLIUS. Recte tu quidem, Sævola, et vere. Nec enim ab isto officio, quod semper usurpavi, quum valerem, abduci incommodo meo debui; nec ullo casu arbitror hoc constanti homini posse contingere, ut ulla ¹ intermissio fiat officii. Tu autem, Fanni, qui mihi tantum tribui dicis, quantum ego nec agnosco, nec postulo, facis amice; sed, ut mihi videris, non recte iudicas de Catone. Aut enim nemo, quod quidem magis credo, aut, si quisquam, ille sapiens fuit. Quomodo enim (ut alia omittam) mortem filii tulit? Memineram Paulum, videram Gallum: sed hi in pueris; Cato in perfecto et spectato viro. Quamobrem cave Catoni

¹ *Coniungunt e mss. intercessio, vel intersessio.*

anteponas, ne istum quidem ipsum, quem Apollo, ut ais, sapientissimum iudicavit. Hujus enim facta, illius dicta laudantur.

III. De me autem (ut jam cum utroque loquar) sic habetote. Ego, si Scipionis desiderio me moveri negem, quam id recte faciam, viderint sapientes; sed certe mentiar. Moveor enim tali amico orbatus, qualis, ut arbitror, nemo unquam erit; et, ut confirmare possum, nemo certe fuit. Sed non egeo medicina: me ipse consolor, et maxime illo solatio, quod eo errore careo, quo, amicorum decessu, plerique angunt. Nihil enim mali accidisse Scipioni puto. Mihi accidit, si quid accidit. Suis autem incommodis graviter angitur, non amicum, sed se ipsum amantis est. Cum illo vero quis neget actum esse præclare? Nisi enim, quod ille minime putabat, immortalitatem optare vellet, quid non est adeptus, quod homini fas esset optare? qui summam spem civium, quam de eo jam puero habuerant, continuo adollescens incredibili virtute superavit; qui consulatum petivit nunquam, factus est consul bis; primum ante tempus; iterum sibi, suo tempore; reipublicæ, pæne sero; qui, duabus urbibus eversis, inimicissimis huic imperio, non modo præsentia, verum etiam futura bella delevit. Quil dicam de moribus facillimis? de pietate in

matrem? liberalitate in sorores? ¹ bonitate in suos? iustitia in omnes? Nota sunt vobis; quam autem civitati carus fuerit, morore funeris indicatum est. Quid igitur hunc paucorum annorum accessio juvare potuisset? Senectus enim quamvis non sit gravis, ut memini Catonem anno ante, quam mortuus est, mecum et cum Scipione disserere, tamen auferit eam viriditatem, in qua etiamnum erat Scipio. Quamobrem vita quidem talis fuit, vel fortuna, vel gloria, ut nihil posset accedere. Moriendi autem sensum celeritas abstulit. Quo de genere mortis difficile dictu est; quid homines suspicentur, videtis. Hoc tamen vere licet dicere, P. Scipioni, ex multis diebus, quos in vita celeberrimos lætissimosque viderit, illum diem clarissimum fuisse, quum, senatu dimisso, domum reductus ad vesperum est a patribus conscriptis, a populi Romani sociis et Latinis, pridie quam excessit e vita: ut ex tam alto dignitatis gradu ad superos videatur potius, quam ad inferos pervenisse.

IV. Neque enim assentior iis, qui hæc nuper disserere coperunt, cum corporibus simul animos interire, atque omnia morte deleri. Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum majorum, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt;

¹ *Al. mss. benignitate.*

quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrantur; vel eorum, qui in hac terra fuerunt, magnamque Græciam (quæ nunc quidem deleta est, tum florebat) insituitis et præceptis suis erudierunt; vel ejus, qui Apollinis oraculo sapientissimus est judicatus; qui non tum hoc, tum illud, ut in plerisque, sed idem dicebat semper, animos hominum esse divinos, ¹ iisque, quum e corpore excessissent, reditum in cælum patere, optimoque et justissimo cuique expeditissimum. Quod item Scipioni videbatur: ² qui quidem, quasi præsigiret, perpauca ante mortem diebus, quum et Philus et Manilius adessent, et alii plures, tuque etiam, Scævola, mecum venisses, triduum disseruit de republica; cujus disputationis fuit extremum fere de immortalitate animorum; quæ se in quiete per visum ex Africano audisse dicebat. Id si ita est, ut optimi cujusque animus in morte facillime evolet, tanquam e custodia vinculisque corporis: cui censemur cursum ad deos faciliorem fuisse, quam Scipioni? Quocirca, morere hoc ejus eventu, vereor, ne invidi magis, quam amici sit. Sint autem illa veriora, ut idem interitus sit animorum et corporum, nec ullus

¹ *Valkenar. in fragm. Euripid., p. 55, conj. piisque.* ² *Emendabat Muretus, qui dum quasi præsigiret.*

sensus maneat: ut nihil boni est in morte, sic certe nihil mali. Sensu enim amisso, fit idem, quasi natus non esset omnino; quem tamen esse natum et nos gaudemus, et hæc civitas, dum erit, lætabitur. Quamobrem cum illo quidem (ut supra dixi) actum optime est; mecum incommodius: quem fuerat æquius, ut prius introieram, sic prius exire de vita. Sed tamen recordatione nostræ amicitiae sic fruor, ut heate vixisse videar, quia cum Scipione vixerim; quocum mihi conjuncta cura de re publica, et de privata fuit, quocum et domus, et militia communis; et id, in quo est omnis vis amicitiae, voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensus. Itaque non tam ista me sapientiae, quam modo Fannius commemoravit, fama delectat, falsa præsertim, quam quod amicitiae nostræ memoriam spero sempiternam fore. Idque mihi eo magis est cordi, quod ex omnibus sæculis vix tria aut quatuor nominantur paria amicorum; quo in genere sperare videor, Scipionis et Lælii amicitiam notam posteritati fore.—FANNIUS. Istud quidem, Læli, ita necesse est: sed, quoniam amicitiae mentionem fecisti, et sumus otiosi, pergratum mihi feceris (spero item Scævola), si, quemadmodum soles, de ceteris rebus, quum ex te quaruntur, sic de amicitia disputaris, quid sentias, qualem existimes, quæ præcepta des. —

SCÆVOLA. Mihi vero pergratum erit; atque, id ipsum quum tecum agere conarer, Fannius antevertit. Quamobrem utrique nostrum gratum admodum feceris.

V. — LÆLIUS. Ego vero non gravarer, si mihi ipse confiderem. Nam et præclara res est, et sumus, ut dixit Fannius, otiosi. Sed quis ego sum? aut quæ in me est facultas? Doctorum est ista consuetudo, eaque Græcorum, ut iis ponatur, de quo disputent quamvis subito. Magnum opus est, egetque exercitatione non parva. Quamobrem quæ disputari de amicitia possunt, ab eis, censeo, petatis, qui ista profitentur. Ego vos hortari tantum possum, ut amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis. Nihil est enim tam naturæ aptum, tam conveniens ad res vel secundas, vel adversas. Sed hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse: neque id ad vivum rescio, ut illi, qui hæc subtilius disserunt, fortasse vere, sed ad communem utilitatem parum. Negant enim, quemquam virum bonum esse, nisi sapientem. Sit ita sane. Sed eam sapientiam interpretantur, quam adhuc mortalis nemo est consecutus. Nos autem ea, quæ sunt in usu, vitæque communi, non ea, quæ finguntur, aut optantur, spectare debemus. Nunquam ego dicam, C. Fabricium, M. Curiū, Tib. Coruncanium, quos sapientes nos-

tri majores judicabant, ad istorum normam fuisse sapientes. Quare sibi habeant sapientiæ nomen et invidiosum, et obscurum; concedantque, ut hi boni viri fuerint. Ne id quidem facient. Negabunt, id, nisi sapienti, posse concedi. Agamus igitur pingui Minerva, ut aiunt. Qui ita se gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, æquitas, liberalitas, nec sit in illis ulla cupiditas, vel libido, vel audacia, sintque magna constantia, ut ii fuerunt, modo quos nominavi; hos viros honos, ut habiti sunt, sic etiam appellandos putemus; quia sequantur (quantum homines possunt) naturam, optimam bene vivendi ducem. Sic enim mihi perspicere videor, ita natos esse nos, ut inter omnes esset societas quædam; major autem, ut quisque proxime accederet. Itaque cives, potiores, quam peregrini; et propinqui, quam alieni. Cum his enim amicitiam natura ipsa peperit; sed ea non satis habet firmitatis. Namque hoc præstat amicitia propinquitati, quod ex propinquitate benivolentia tolli potest, ex amicitia non potest. Sublata enim benivolentia, amicitia nomen tollitur, propinquitatis manet. Quanta autem vis amicitia sit, ex hoc intelligi maxime potest, quod ex infinita societate generis humani, quam concit-

• Equalitas.

liavit ipsa natura, ita contracta res est, et adducta in angustum, ut omnis caritas aut inter duos, aut inter paucos jungeretur.

VI. Est autem amicitia nihil aliud, nisi omnium divinarum humanarumque rerum, cum benivolentia et caritate, summa consensio; qua quidem haud scio, an, excepta sapientia, nihil quicquam melius homini sit a diis immortalibus datum. Divites alii præponunt, bonam alii validitatem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptates. Bellarum hoc quidem extremum est; illa autem superiora, caduca et incerta, posita non tam in nostris consiliis, quam in fortunæ temeritate. Qui autem in virtute summum bonum ponunt, præclare illi quidem: sed hæc ipsa virtus amicitiam et gignit, et continet; nec sine virtute amicitia esse ullo pacto potest. Jam virtutem ex consuetudine vitæ sermonisque nostri interpretemur; nec eam, ut quidam docti, verborum magnificentia metiamur; virosque bonos eos, qui habentur, numeremus, Paullos, Catones, Gallos, Scipiones, Philos. His communis vita contenta est. Eos autem omittamus, qui omnino nusquam reperiuntur. Tales igitur inter viros amicitia tantas opportunitates habet, quantas vix queo dicere.

• Abest nihil.

Principio, ' cui potest esse «vita vitalis», ut ait Ennius, qui non in amici mutua benivolentia conquiescat? Quid dulcius, quam habere, quicum omnia audeas sic loqui, ut tecum? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis æque, ac tu ipse, gauderet? Adversas vero ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam, quam tu, ferret. Denique ceteræ res, quæ expellantur, opportuna sunt singulæ rebus fere singulis: divitiæ, ut utare; opes, ut colare; honores, ut laudare; voluptates, ut gaudeas; validudo, ut dolore careas, et muneribus fungare corporis: amicitia res plurimas continet. Quoquo te verteris, præsto est; nullo loco excluditur; nunquam in tempestiva, nunquam molesta est. Itaque non aqua, non igni, ut aiunt, pluribus locis utimur, quam amicitia. Neque ego nunc de vulgari, aut de mediocri (quæ tamen ipsa et delectat, et prodest), sed de vera et perfecta loquor, qualis eorum, qui pauci nominantur, fuit. Nam et secundas res splendidiore facit amicitia, et adversas partiens communicansque leviores.

VII. Quamque plurimas et maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum præstat omnibus, quod ² bona spe præluet in posterum;

¹ Al. quis, vel qui, vel quæ. ² Bonam spem.

nec debilitari animos, aut cadere patitur. Verum etiam amicum qui intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur sui. Quocirca et absentes adsunt, et egentes abundant, et imbecilles valent, et, quod difficilius dictu est, mortui vivunt: tantus eos honos, memoria, desiderium prosequitur amicorum. Ex quo illorum beata mors videtur; horum vita laudabilis. Quod si exemeris ex natura rerum benivolentiæ ¹ conjunctionem, nec domus ulla, nec urbs stare poterit; ne agri quidem cultus permanebit. Id si minus intelligitur, quanta vis amicitia concordiaque sit: ex dissensionibus atque discordiis percipi potest. Quæ enim domus tam stabilis, quæ tam firma civitas est, quæ non odios atque dissidiis funditus possit everti? ex quo, quantum boni sit in amicitia, judicari potest. Agrigentinum quidem, doctum quemdam virum, carminibus Græcis vaticinatum ferunt, quæ in rerum natura, totoque mundo constarent, quæque moverentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam. Atque hoc quidem omnes mortales et intelligunt, et re probant. Itaque, si quando aliquod officium extitit amici in periculis aut adendis, aut communicandis, quis est, qui id non maximis efferat laudibus? qui clamores tota cavea

¹ Vincionem.

nuper in hospitii et amici mei M. Pacuvii, nova fabula, quum, ignorante rege, uter eorum esset Orestes, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur; Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret? Stantes plaudebant in re facta: quid arbitramur in vera fuisse facturos? Facile indicabat ipsa natura vim suam: quum homines, quod facere ipsi non possent, id recte fieri in altero judicarent. Hactenus mihi videor, de amicitia quid sentirem, potuisse dicere. Si qua præterea sunt (credo autem esse multa), ab iis, si videbitur, qui ista disputant, quaeritote. — FANNIUS. Nos autem a te potius: quanquam etiam ab istis sæpe quaesivi, et audivi, non invitus equidem; sed aliud quoddam¹ expetimus filum orationis tuæ. — SCEVOLA. Tum magis id diceres, Fanni, si nuper in hortis Scipionis, quum est de republica disputatum, affuisses. Qualis tum patronus justitiae fuit contra accuratam orationem Philii! — FANNIUS. Facile id quidem fuit, justitiam justissimo viro defendere. — SCEVOLA. Quid amicitiam? nonne facile ei, qui ob eam summa fide, constantia, justitiaeque servatam, maximam gloriam ceperit? — LÆLIUS. Vim hoc quidem est afferre. Quid enim refert, qua me rogatione cogatis? co-

¹ *Al. expectamus.*

gitis certe. Studii enim generorum, præsertim in re bona, quum difficile est, tum ne æquum quidem obsistere.

VIII. Sæpissime igitur mihi de amicitia cogitanti, maxime illud considerandum videri solet, num propter imbecillitatem, atque inopiam, desiderata sit amicitia; ut dandis, recipiendisque meritis, quod quisque minus per se ipse posset, id acciperet ab alio, vicissimque redderet: an esset hoc quidem proprium amicitiae; sed antiquior, et pulchrior, et magis a natura ipsa profecta alia causa. Amor enim (ex quo amicitia nominata), princeps est ad benivolentiam conjungendam. Nam utilitates quidem etiam ab iis percipiuntur sæpe, qui simulatione amicitiae coluntur, et observantur causa temporis. In amicitia autem nihil fictum, nihil simulatum; et, quidquid in ea est, id est verum et voluntarium. Quapropter a natura mihi videtur potius, quam ab indigentia, orta amicitia, et applicatione magis animi cum quodam sensu amandi, quam cogitatione, quantum illa res utilitatis esset habitura. Quod quidem quale sit, etiam in bestiis quibusdam animadverti potest: quæ ex se natos ita amant ad quoddam tempus, et ab eis ita amantur, ut facile earum sensus appareat. Quod in homine multo est evidentius. Primum ex ea caritate, quæ est inter

natos et parentes; quæ dirimi, nisi detestabili scelere, non potest. Deinde, quum similis sensus exstitit amoris, si aliquem nacti sumus, cujus cum moribus et natura congruamus, quod in eo quasi lumen aliquod probitatis et virtutis perspicere videamur. Nihil est enim amabilius virtute; nihil, quod magis alliciat ad diligendum: quippe quum propter virtutem et probitatem, eos etiam, quos nunquam vidimus, quodam modo diligamus. Quis est, qui C. Fabricii, M. Curiî non cum caritate aliqua et benivolentia memoriam usurpet, quos nunquam viderit? quis autem est, qui Tarquinium Superbum, qui Sp. Cassium, Sp. Maelium non oderit? Cum duobus ducibus de imperio in Italia decertatum, Pyrrho et Hannibale. Ab altero propter probitatem ejus, non nimis alienos animos habemus; alterum propter crudelitatem semper hæc civitas oderit.

IX. Quod si tanta vis probitatis est, ut eam vel in eis, quos nunquam vidimus, vel, quod majus est, in hoste etiam diligamus: quid mirum, si animi hominum moveantur, quum eorum, quibuscum usu conjuncti esse possunt, virtutem et bonitatem perspicere videantur? Quanquam confirmatur amor et beneficio accepto, et studio perspecto, et consuetudine adjuncta; quibus rebus ad illum primum motum animi et amoris adhi-

bitis, admirabilis quedam exardescit benivolentiæ magnitudo: quam si qui putant ab imbecillitate proficisci, ut sit, per quem quisque assequatur, quod desideret; humilem sane relinquunt, et minime generosum, ut ita dicam, ortum amicitiae, quam ex inopia atque indigentia natam volunt. Quod si ita esset, ut quisque minimum in se esse arbitraretur, ita ad amicitiam esset aptissimus. Quod longe secus est. Ut enim quisque sibi plurimum confidit, et ut quisque maxime virtute et sapientia sic munitus est, ut nullo egeat, suaque omnia in se ipso posita judicet: ita in amicitiiis expetendis colendisque maxime excellit. Quid enim Africanus ¹ indigens mei? Minime hercle; ac ne ego quidem illius: sed ego admiratione quadam virtutis ejus, illi vicissim opinione fortasse nonnulla, quam de meis moribus habebat, me dilexit; auxit benivolentiam consuetudo. Sed quantum utilitates multæ et magnæ consecutæ sunt, non sunt tamen ab earum spe causæ diligendi profectæ. Ut enim benefici liberalesque sumus, non ut exigamus gratiam (neque enim beneficium feceramus), sed natura propensi ad libertatem sumus: sic amicitiam non spe mercedis adducti, sed quod omnis ejus fructus in ipso amore inest,

¹ *Al. addunt erat.*

expetendam putamus. Ab iis, qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt, longe dissentiunt. Nec mirum. Nihil enim altum, nihil magnificum ac divinum suscipere possunt, qui suas omnes cogitationes abjecerunt in rem tam humilem, tamque contemptam. Quamobrem hos quidem ab hoc sermone removeamus: ipsi autem intelligamus, natura gigni sensum diligendi, et benivolentiæ caritatem, facta significatione probitatis: quam qui appetiverunt, applicent sese, et propius admovent, ut et usu ejus, quem diligere cœperunt, fruantur, et moribus; sintque pares in amore, et æquales; propensioresque ad bene merendam, quam ad reposcendum. Atque hæc inter eos sit honesta certatio. Sic et utilitates ex amicitia maxime capientur; et erit ejus ortus a natura, quam ab inbecillitate, et gravior, et verior. Nam si utilitas amicitias conglutinaret, eadem commutata dissolveret. Sed quia natura mutari non potest; idcirco veræ amicitie sempiternæ sunt. Ortum quidem amicitie videtis, nisi quid ad hæc forte vultis. — FANNIUS. Tu vero perge, Læli. Pro hoc enim, qui minor est natu, meo jure respondeo. — SCEVOLA. Recte tu quidem. Quamobrem audiamus.

X. — LÆLIUS. Audite ergo, optimi viri, ea, quæ sæpissime inter me et Scipionem de amicitia

disserebantur. Quanquam ille quidem nihil difficilius esse dicebat, quam amicitiam usque ad extremum ¹ vitæ permanere. Nam, vel ut non idem expediret utrique, incidere sæpe; vel ut de republica non idem sentirent; mutari etiam mores hominum sæpe dicebat, alias adversis rebus, alias ætate ingravescente. Atque earum rerum exemplum ex similitudine capiebat ineuntis ætatis, quod summi puerorum amores sæpe una cum prætecta ponerentur. Sin autem ad adolescentiam perduxissent; dirimi tamen interdum contentione, vel uxoriæ conditionis, vel commodi alicujus, quod idem adipisci uterque non posset. Quod si qui longius in amicitia proveci essent, tamen sæpe labefactari, si in honoris contentionem incidissent: pestem enim majorem esse ² nullam amicitie, quam in plerisque pecunie cupiditatem; in optimis quibusque honoris certamen, et gloria: ex quo inimicitias maximas sæpe inter amicissimos exstitisse. Magna enim dissidia, et plerumque justa nasci, quum aliquid ab amicis, quod rectum non esset, postularetur: ut aut libidinis ministri, aut adjuutores essent ad injuriam. Quod qui recusarent, quamvis honeste id facerent, jus tamen amicitie deserere arguerentur ab iis, quibus ob-

¹ Vitæ diem. ² Nullam in amicitie.

sequi nollent; illos autem, qui quidvis ab amico auderent postulare, postulatione ipsa profiteri, omnia se amici causa esse facturos. Eorum querela ¹inveteratas non modo familiaritates exstingui solere, sed etiam odia gigni sempiterna. Hæc ita multa, quasi fata, impendere amicitiiis, ut omnia subterfugere non modo sapientiæ, sed etiam felicitatis diceret sibi videri.

XI. Quamobrem id primum videamus, si placeat, quatenus amor in amicitia progredi debeat. Num, si Coriolanus habuit amicos, ferre contra patriam arma illi cum Coriolano debuere? num Viscellinum amici regnum appetentem, num Sp. Mælium debuerunt juvare? Tib. quidem Gracchum rempublicam vexantem, a Q. Tuberone, æqualibusque amicis derelictum videbamus. At C. Blossius, Cumanus, hospes familiæ vestræ, Scævola, quum ad me, qui aderam Lænati et Rupilio consulibus in consilio, deprecatum venisset, hanc, ut sibi ignoscerem, causam afferebat, quod tanti Tib. Gracchum fecisset, ut, quidquid ille vellet, sibi faciendum putaret. Tum ego, Etiamne, si te in Capitolium faces ferre vellet? Nunquam, inquit, voluisset id quidem. Sed, si vo-

¹ Inveterata. Sed Gruter. quoque jam probavit inveteratas, in Palat. sec. repertum.

luisset? Paruissem. Videtis, quam nefaria vox. Et hercle ita fecit; vel plus etiam, quam dixit. Non enim paruit ille Tib. Gracchi temeritati, sed præfuit; nec se comitem illius ¹furoris, sed ducem præbuit. Itaque hæc amentia, questione nova perterritus, in Asiam profugit, ad hostes se contulit, pœnas reipublicæ graves justasque persolvit. Nulla est igitur excusatio peccati, si amici causa peccaveris. Nam, quum conciliatrix amicitia virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si a virtute defeceris. Quod si rectum statuerimus, vel concedere amicis, quidquid velint, vel impetrare ab iis, quidquid velimus, perfecta quidem sapientia ²simus, si nihil habeat res vitii; sed loquimur de iis amicis, qui ante oculos sunt, quos videmus, aut de quibus memoriam accepimus, aut quos novit vita communis. Ex hoc numero nobis exempla sumenda sunt; et eorum quidem maxime, qui ad sapientiam proximè accedunt. Videmus Papum Æmiliū C. Luscino familiarem fuisse (sic a patribus accepimus), bis una consules, et collegas in censura; tum et cum iis, et inter se, conjunctissimos fuisse M'. Curium et Tib. Cornucanium, memoriæ proditum est. Igitur ne suspicari quidem possumus, quemquam horum ab amico

¹ Al. forte rectius, furori. ² Si simus, nihil h.

quippiam contendisse, quod contra fidem, contra jusjurandum, contra rempublicam esset. Nam hoc quidem in talibus viris quid attinet dicere? si contendisset, scio impetratum non fuisse: quum illi sanctissimi viri fuerint; æque autem nefas sit, tale aliquid et facere rogatum, et rogare. At vero Tib. Gracchum sequebantur C. Carbo, C. Cato, minime tum quidem Caius frater, nunc idem acerrimus.

XII. Hæc igitur ¹ prima lex in amicitia sanciat, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati. Turpis enim excusatio est, et minime accipienda, quum in ceteris peccatis, tum si quis contra rempublicam se amici causa fecisse fateatur. Etenim eo loco, Fanni, et Scævola, locati sumus, ut nos longe prospicere oporteat futuros casus reipublicæ. Deflexit enim jam aliquantulum de spatio curriculumque consuetudo majorum. Tib. Gracchus regnum occupare conatus est, vel regnavit is quidem paucos menses. Num quid simile populus Romanus audierat, aut viderat? Hunc etiam post mortem secuti amici et propinqui, quid in P. Scipionem effecerint, sine lacrymis non queo dicere. Nam Carbonem quoquo modo potuimus, propter recentem pœnam Tib. Gracchi, sustinimus. De

¹ *Al. delent prima.*

C. Gracchi autem tribunatu, quid expectem, non libet augurari. Serpit enim deinde res; quæ proclivius ad perniciem, quum semel cœpit, labitur. Videtis, in tabella jam ante quanta sit facta labes, primo Gabinia lege, biennio autem post, Cassia. Videre jam videor populum a senatu disjunctum, multitudinisque arbitrio res maximas agi. Plures enim discent, quemadmodum hæc fiant, quam quemadmodum his resistatur. Quorsum hæc? quia sine sociis nemo quidquam tale conatur. Præcipiendum est igitur bonis, ut, si in ejusmodi amicitias ignari casu aliquo inciderint, ne existiment, ita se alligatos, ut ab amicis in ¹ magna aliqua re peccantibus non discedant. Improbis autem pœna statuenda est; nec vero minor iis, qui secuti erunt alterum, quam iis, qui ipsi fuerint impietatis duces. Quis clarior in Græcia Themistocle? quis potentior? qui quum imperator bello Persico servitute Græciam liberasset, propterque invidiam in exsilium missus esset, ingratae patrie injuriam non tulit, quam ferre debuit. Fecit idem, quod xx annis ante apud nos fecerat Coriolanus. His adjutor contra patriam inventus est nemo. Itaque mortem sibi uterque conscivit. Quare talis impro-

¹ *Magnam aliquam rem. Cod. Pith. addit. in republ. Recte.*

horum consensus non modo excusatione amicitiae tegenda non est, sed potius omni supplicio vindicanda: ut ne quis sibi concessum putet, amicum, vel bellum patriae inferentem, sequi. Quod quidem, ut res coepit ire, haud scio, an aliquando futurum sit. Mibi autem non minori curae est, qualis respublica post mortem meam futura sit, quam qualis hodie sit.

XIII. Haec igitur prima lex amicitiae sanciat, ut ab amicis honesta petamus, amicorum causa honesta faciamus; ne expectemus quidem, dum rogemur; studium semper adsit, cunctatio absit; consilium vero dare gaudeamus libere; plurimum in amicitia amicorum bene suadentium valeat auctoritas; eaque et adhibeatur ad monendum non modo aperte, sed etiam acriter, si res postulabit, et adhibita pareatur.

Nam quibusdam, quos audio sapientes habitos in Graecia, placuisse opinor mirabilia quaedam; sed nihil est, quod illi non persequantur argutius: partim fugiendas esse nimias amicitias, ne necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus; satis superque esse suarum cuique rerum; alienis nimis implicari molestum esse; commodissimum esse, quam laxissimas habenas habere amicitiae;

1 Suis argutis.

quas vel adducas, quum velis, vel remittas. Caput enim esse ad beate vivendum, securitatem; quae frui non possit animus, si tanquam parturiat unus pro pluribus. Alios autem dicere aiunt multo etiam inhumanius (quem locum breviter perstrinxi paulo ante), praesidii adjumentique causa, non benivolentiae, neque caritatis, amicitias esse expetendas. Itaque ut quisque minimum firmitatis habeat, minimumque virium, ita amicitias appetere maxime. Ex eo fieri, ut mulierculae magis amicitiarum praesidia quaerant, quam viri; et inopes, quam opulenti; et calamitosi, quam ii, qui putentur beati. O praecelaram sapientiam! Solem enim e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt; quae a diis immortalibus nihil melius habemus, nihil jucundius. Quae est enim ista securitas? specie quidem blanda, sed reapse multis locis repudianda. Neque enim est consentaneum, ullam honestam rem actionemve, ne sollicitus sis, aut non suscipere, aut susceptam deponere. Quod si curam fugimus, virtus fugienda est; quae necesse est cum aliqua cura res sibi contrarias aspernetur atque oderit, ut bonitas malitiam, temperantia libidinem, ignaviam fortitudo. Itaque videas rebus injustis justos maxime dolere, imbecillibus fortes, flagitiosis modestos. Ergo hoc proprium est animi bene constituti, et laetari bonis rebus, et dolere

contrariis. Quamobrem si cadit in sapientem animi dolor (qui profecto cadit, nisi ex ejus animo extirpatam humanitatem arbitremur), quæ causa est, cur amicitiam funditus tollamus e vita, ne aliquas propter eam suscipiamus molestias? Quid enim interest, motu animi sublato, non dico inter hominem et pecudem, sed inter hominem, et saxum, aut truncum, aut quidvis generis ejusdem? Neque enim sunt isti audiendi, qui virtutem duram, et ¹ quasi ferream esse volunt: quæ quidem est quum multis in rebus, tum in amicitia, tenera atque tractabilis; ut et bonis amici quasi diffundantur, et incommodis contrahantur. Quamobrem angor iste, qui pro amico sæpe capiendus est, non tantum valet, ut tollat e vita amicitiam; non plus, quam ut virtutes, quia nonnullas curas et molestias afferunt, repudientur.

XIV. Quum autem contrahat amicitiam (ut supra dixi), si qua significatio virtutis eluceat, ad quam se similis animus applicet, et adjungat; id quum contingit, amor exoriatur necesse est. Quid enim tam absurdum, quam delectari multis inanibus rebus, ut honore, ut gloria, ut ædificio, ut vestitu, cultuque corporis; animo autem virtute prædito eo, qui vel amare, vel (ut ita dicam) re-

¹ Q. f. e. quamdam.

damare possit, non admodum delectari? Nihil est enim remuneratione benivolentiæ, nihil vicissitudine studiorum officiorumque jucundius. Quod si etiam illud addimus, quod recte addi potest, nihil esse, quod ad se rem ullam tam ¹ alliciat, et tam attrahat, quam ad amicitiam similitudo: concedetur profecto verum esse, ut bonos boni diligant, adsciscantque sibi, quasi propinquitate conjunctos atque natura. Nihil est enim appetentius similitum sui, nihil rapacius, quam natura. Quamobrem hoc quidem, Fanni et Scævola, constat (ut opinor), bonis inter bonos quasi necessariam benivolentiam esse; qui est amicitia fons a natura constitutus. Sed eadem bonitas etiam ad multitudinem pertinet. Non est enim inhumana virtus, neque immanis, neque superba; quæ etiam populos universos tueri, eisque optime consulere solet: quod non faceret profecto, si a caritate vulgi abhorreret. Atque etiam mihi quidem videntur, qui utilitatis causa fingunt amicitias, amabilissimum nodum amicitia tollere. Non enim tam utilitas parta per amicum, quam amici amor ipse delectat; tumque illud fit, quod ab amico est profectum, jucundum, ² si cum studio est profectum:

¹ Illiciat. ² Victor. alique, si cum amore et studio. Sed sic mss. fere nulli, nulla editio antiquior.

tantumque abest, ut amicitia propter indigentiam colantur, ut ii, qui opibus, et copiis, maximeque virtute præditi (in qua plurimum est præsidii), minime alterius indigeant, liberalissimi sint, et beneficentissimi. Atque haud scio, an ne opus sit quidem, ¹ nihil unquam omnino deesse amicis. Ubi enim studia nostra viguissent, si nunquam consilio, nunquam opera nostra nec domi, nec militia Scipio eguisset? Non igitur utilitatem amicitia, sed utilitas amicitiam consecuta est.

XV. Non ergo erunt homines deliciis diffuentes audiendi, si quando de amicitia, quam nec usu, nec ratione habent cognitam, disputabunt. Nam quis est, pro deum fidem atque hominum! qui velit, ut neque diligit quemquam, nec ipse ab ullo diligatur, circumfluere omnibus copiis, atque in omnium rerum abundantia vivere? Hæc enim est tyrannorum vita; in qua nimirum nulla fides, nulla caritas, nulla stabilis benevolentia potest esse fiducia, omnia semper suspecta atque sollicita; nullus locus amicitia. Quis enim aut eum diligit, quem metuit; aut eum, a quo se metui putat? Coluntur tamen simulatione duntaxat ad

¹ *Vetus lib. Langii, nihil unquam indigere amicos, quod videtur ei non displicuisse, quam id, etsi vestustum sit, tamen aures non offendere dicat, nixum scilicet Plauti et Varronis exemplis.*

tempus. Quod si forte (ut fit plerumque) ceciderint, tum intelligitur, quam fuerint inopes amicorum. Quod Tarquinius dixisse ferunt, exultantem se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos, quam jam neutris gratiam referre posset. Quanquam miror, illa superbia et importunitate, si quemquam habere potuit. Atque ut hujus, quem dixi, mores veros amicos parare non potuere, sic multorum opes præpotentium excludunt amicitias fideles. Non enim solum ipsa fortuna cæca est, sed eos etiam plerumque efficit cæcos, quos complexa est. Itaque efferuntur illi fere fastidium, et contumacia; neque quidquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest. Atque hoc quidem videre licet, eos, qui antea commodis fuerunt moribus, imperio, potestate, prosperis rebus immutari, spernque ab iis veteres amicitias, ¹ indulgeri novis. Quid autem stultius, quam, quam plurimum copiis, facultatibus, opibus possint cetera parare, quæ ² parantur pecunia, equos, famulos, ³ vestem egregiam, vasa pretiosa; amicos non parare, optimam et pulcherrimam vitam, ut ita dicam, suppellectilem? Etenim cetera quam parant, cui parent, nesciunt, nec cujus causa la-

¹ Indulgere. ² Parantur; pecuniam. ³ *Olim legatur, vestes, gloriam. Ineptæ.*

borent. Ejus enim est istorum ¹ quodque, qui vincit viribus; amicitiarum sua cuique permanet stabilis et certa possessio: ut, etiam si illa maneant, quæ sunt quasi dona fortunæ, tamen vita inculca, et deserta ab amicis, non possit esse jucunda. Sed hæc hactenus.

XVI. Constituendi autem sunt, qui sint in amicitia fines, et quasi termini ² diligendi: de quibus tres video sententias ferri; quarum nullam probo: unam, ut eodem modo erga amicum affecti simus, quo erga nosmet ipsos; alteram, ut nostra in amicos benivolentia illorum erga nos benivolentia pariter æqualiterque respondeat; tertiam, ut, quanti quisque se ipse facit, tanti fiat ab amicis. Harum trium sententiarum nulli prorsus assentior. Nec enim illa prima vera est, ut, quemadmodum in se quisque, sic in amicum sit animatus. Quam multa enim, quæ nostra causa nonquam faceremus, facimus causa amicorum? precari ab indigno, supplicare; tum acerbius in aliquem invehi, insectarique vehementius; quæ in nostris rebus non satis honeste, in amicorum fiunt honestissime: multaque res sunt, in quibus de suis commodis viri boni multa detrahunt, detrahique patiuntur, ut iis amici potius, quam ipsi, fruantur. Altera

¹ Quidque. ² Erasmus conj. dirigendi. Frustra.

sententia est, quæ definit amicitiam paribus officiis ac voluntatibus. Hoc quidem est nimis exigue et exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum et datorum. Ditiior mihi et affluentior videtur esse vera amicitia; nec observare restricte, ne plus reddat, quam acceperit. Neque enim verendum est, ne quid excidat, ¹ aut ne quid in terram defluat, aut ne plus æquo quid in amicitiam congeratur. Tertius vero ille finis deterrimus, ut, quanti quisque se ipse faciat, tanti fiat ab amicis. Sæpe enim in quibusdam aut animus abjectior est, aut spes amplificandæ fortunæ fractior. Non est igitur amici, talem esse in eum, qualis ille in se est; sed potius eniti, et efficere, ut amici jacentem animum excitet, inducatque spem, cogitationemque meliorem.

Alius igitur finis veræ amicitia constitutus est, si prius, quid maxime reprehendere Scipio solitus sit, edixero. Negabat ullam vocem inimiciorem amicitia potuisse reperiri, quam ejus, qui dixisset, ita amare oportere, ut si aliquando esset osurus. Nec vero se adduci posse, ut hoc, quemadmodum sapiens haberetur, a Biante esse dictum crederet, qui patiens habitus esset unus e septem, sed

¹ Gruterus nimis leviter putat verba, aut — defluat, interpretamentum esse.